

*incaute amicitias iungimur, eorum culpis ligamur*¹, ac plurimis scandalum comparamus, quibus nec aestimatio, nec pecunia, consuetudine hac comparata, ullo modo respondebunt.

f) Cum personis in dignitate constitutis ne certes, Scriptura monente: *abstine te a lite et minues peccata*²; *noli resistere contra faciem Potentis*³, *ne litiges cum homine Potente, ne forte incidas in manus illius*⁴. — Quod ipsi agunt censoria nota ne improbes, ac quorum tum erga te, tum alios erga iniuriae sunt [cum inferioribus ac aequalibus praesertim] prudenti tege silentio. Caritatis amiculo improbanda velabis, et quae [veritate duce] laudanda, laudabis. Cuncta, enim, quae proferes, ipsos cognituros fore pro certo habeas, *quoniam quae in tenebris dixisti, in lumine dicentur, et quod in aure locutus es in cubiculis, praedicabitur in tectis*⁵. Sancti vero reformatores qui [peculiari Sancto afflante Spiritu] et Ecclesiae Potentes ad bonam, vel meliorem frugem recipere contenderunt pauci habentur, quos recte imitare perarduum. Idcirco [nisi ex officio debitum tibi sit] sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Caetera ad rem opportuniora recolemus alibi⁶

95. — Tandem nulla de re miretur Pastor; nam, si materna Dei recedente Gratia, marti suo relinquatur homo, nullum est precipitium in quo haud ruere possit. *Homo sum* [ethnicus quidam de se ipso confessus est] *et nil humani a me alienum puto*⁷. Impavido, igitur, animo Pastor sit, nullo de eventu miretur ipse, ac adeo inopinatos suscipiat casus ut si, longo tempore, antea praevidisset. De humanis, enim, mirari eventibus, ubicumque habeantur, insipientium vel experientia carentium tantum est, et quo magis extra ordinem acciderint, eo magis intra rerum humanarum ordinem immo contineri, prudens quisque confitetur. Nihil, enim, humana infirmitate infirmius!

96. — Hisce omnibus prudentiae consiliis Pastor obsequutus, negocia in apostolatus emolumentum suscepta [Dei adiuvante Gratia] felicem ad exitum perducere valebit. Attamen:

a) Ne vir nimis negociosus ipse sit, et potiusquam nova condere, iam vigentia confirmet solidetque.

b) Ut nil maioris momenti absque obedientiae consensu moliat, quam maxime suademus, quod praesertim de novis extruendis Ecclesiis dicendum, quo in negotio, adeo omnia cum Ordinario

¹ S. Gregor. Magn. *Epist.* Lib. IX, Indict. 4, *Epist.* 13 *Ad Cyprian.*

² *Eccles.* XXVIII, 10.

³ *Eccles.* IV, 32.

⁴ *Eccles.* VIII, 1.

⁵ Luc. XII, 3.

⁶ Cfr. indic. alphabetic., *Episcopus, Pa-*
rochus, Superiores.

⁷ Terentius, *Satyr.*

componere, ut tum huius operis arduum initium, tum eius prosecutio ac finis, Episcopi adprobatio in cunctis Pastor sortiat, pernecessarium omnino est. Hac, enim, tantum ratione, dum sacri obsequentur canones, et plurimos ac gravissimos devitavit scopulos, in quibus, secus cum proprio magno moerore, paroeciae damno ac fidelium scandalo, miserrime Pastor impingeret.

c) Dum vero insuetis studet, assueta ne negligat, et bonum rerum eventus sibi non tribuens, omnia ad Dei gloriam incrementumque referat ipse, et ad hunc finem cunctas cogitationes ac curas intendat. Boni, enim, Pastoris laus sola et gloria Dei illa est, quae universum per orbem lumen eius charitatem effundit; labentibus, enim, omnibus, haec tantum, saeculis admirantibus, stat.

§ IV. — De consilio pastorali in regimine utendo.

SUMMAE RERUM. — 97. De consilii in pastorali regimine necessitate. — 98. Qui consulendi sint. — 99. Consilii consecraria quae sint. — 100. Conclusio.

97. — De consilio, tandem, ecclesiastico in regimine utendo dicendum, cuius necessitas ex ipsa humanae condicionis nature clare evincitur; enimvero *non coelestitate corporum res magnae geruntur, sed consilio*¹. Quum autem tantae capacitatis nemo sit ut sua scientia omnia complectatur, et quum frequenter minori revelet Dominus quae maioribus absconduntur, ut qui recte regere intendit consiliarios habeat omnino expedit. Quod et a saeculari Ecclesiae consuetudine confirmatum habetur. Dioecesanus, enimvero, Deputationes ac dioecesana Synodus, provincialia sive nationalia Concilia, SS. RR. Congregationum conventus, immo et Consistoria ipsa [quae in Curia a Summo Pontefice habentur] quid aliud nisi consiliariorum coetus sunt, in quibus, sive dioecesi, sive Ecclesiae necessitatibus utilitatibusque consulitur, ac [pro re nata] providetur? Ad rem vero Sapientia nos docet: *Consilium custodiet te, et prudentia servabit te*²; *qui agunt omnia cum consilio reguntur sapientia*³; *fili, sine consilio nihil facies*⁴; *ibi est salus, ubi multa consilia*⁵. Apte, igitur, D. docet Augustinus: *antequam stes in opere, sta in consilio*⁶, et D. Bernardus: *sacerdotale onus..., cura pastoralis administrari digne non possunt sine consilio*⁷.

¹ Cicero, *De Senectute*, 4.

² *Prov.* II, 11.

³ *Id.* XIII, 10.

⁴ *Eccles.* XXXII, 24.

⁵ *Prov.* XI, 14.

⁶ *Sup. Psalm.* XXXIV, 1.

⁷ *De Officiis et Morib. Episcoporum*, c. III.

98. — Qui vero a Pastore consulendi sint, tum eius munus, tum peculiariora huius adiuncta dicent. Quapropter:

a) Extraordinariis in adiunctis:

I) Primum legitimum ac, omnino necessarium Pastorum consiliarius Ordinarius est, cuius ex labiis [ut inferius explicabimus] adeo semper ac in omnibus Pastor esse debet, ut, eius absque consensu, nil statuere audeat. Ad rem plura infra ¹.

II) Et a Vicario Foraneo, comparrochis ac senibus paroeciae sacerdotibus eximiam experientiam pollentibus, consilium sciscitare iuvabit, in quo tamen adeo prudenter agendum ut bonum paroeciae ac fidelium nomen, minime pessumdetur.

b) Communibus vero in adiunctis:

I) Coadiutores suos, interdum, sciscitetur Pastor, sed potiusquam officiali modo, ut officiose, per transennam ac non nimis humiliter [ne eorum adiumentum mendicare videatur] hoc praestet, consulendum est. Hac ratione, dum hi in regiminis parte adeo Pastor cooptat, ut haud. despotica ratione cuncta constituere videatur, et ad ipsum in tempore apte gerendum sensim sine sensu eos parat, quod, [ut inferius explicabimus ²] Pastoris officium extat.

II) Et Fabricae consiliarii, interdum, in temporalibus, sed perquam prudenter, sciscitandi sunt, de quo inferius plura recolemus ³.

c) Generatim vero pauci, experientia probatissimi et virtuosi tantum sciscitentur, et in omnibus ac semper *quae eorum necessitas sit* ⁴ sedulo disquirat Pastor, ne, quae Dei prudentiaeque sunt insequendo, nimis humana, contrario, assequatur.

99. — Consilii vero consecretaria in deliberatione de agendis continentur, quod negotium Pastoris tantum est. Idcirco, Deo coram sistens, quae pro, vel contra rationes habentur sedulo perpendat ipse, illudque meminerit, videlicet, quod *in deliberatione sua et in omnibus sententiis quae in deliberationem veniunt adesse haec duo oportet, posse illud fieri, atque utile esse. Haec, enim, duo si non adsint, infirmum consilium esse ac temerarium statim deprehenditur, et quasi ante oculos vitium illius cernitur* ⁵. — Ad recte vero deliberandum sequentia prudentiae principia prae oculis Pastor habeat:

a) Cunctetur; nam *impatiens operabitur stultitiam* ⁶, et *nihil magis consiliis inimicum quam coeleritas* ⁷. Idcirco, quum breviter audita, diutius

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Ordinarius, Episcopus, Parochus, Pastor.*

² Cfr. indic. alphabetic. *Parochus, Coadiutores.*

³ Cfr. indic. alphabetic. *Fabrica.*

⁴ Cfr. *Eccles. XXXVII.*

⁵ Leo, *De Appar. bellic., IV.*

⁶ *Prov. XIV, 17.*

⁷ Tit. Liv. *Histor., Lib. XXI.*

pensare sapientis sit, ne praesumptionis effectibus Pastor inserviat, varias quae habentur rationes discutiat, et non sophismatibus sed authenticis argumentis suam decisionem fulciri satagat. Locorum personarumque circumstantias sedulo perpendat, quo tantum pacto veritatem ipse assequetur. Ad hoc vero altam, firmam, liberalem, constantem, modestam, ac promptam habere mentem quam maxime iuvabit. Quapropter:

I) Mens alta, qua deliberandorum essentia ab adiunctis apte secernitur, ac quae prima fronte videntur, ab his quae reapse sunt adeo seiunguntur, ut genuinam quaestionis substantiam clare perspectam habeatur; negotiorum, enim, nervum fere totum in eo est ut implicata [quo magis fieri potest] simplicia reddantur. Idcirco quae in deliberationem veniunt, ab his omnibus quae ea obnubilant vel implicant exuantur: singulorum argumentorum quae pro vel contra habentur vim sedulo perpendatur, et an excogitata media ad propositum finem apta sint attente investigetur.

II) Mens firma, qua politicas subtilitates, ambages, tricas et si quid aliud [quod Dei virum quam maxime dedecet] spernuntur.

III) Mens liberalis, qua, uno ictu, si non cuncta, multa saltem adeo complectuntur ut fere omnia, tuta sententia, iudicare valeat. Haec, enim, neque unam tantum vel alteram rem respicit, nec [eoque minus] eas a latere tantum considerat, sed, perplura simul ad invicem conferendo, generalem quaestionis statum undique perspectum habet.

IV) Mens constans, qua a perpensis iam argumentis haud facile dimoveri se sinit, superata iam pericula haud iterum expavescit, ab illis qui postremo loquuntur haud se duci consentit, undarum dubiis hinc inde iactari non permittit, nec, tandem, agendi tempus in nimia deliberatione consumit. Quae tamen ne in pertinacitatem vertantur, ut caeteris cum recensitis vel recensendis qualitibus copulentur, omnino decet.

V) Mens modesta, quam, scilicet, superbia non obcaecat, pertinacia non obfirmat, praeiudicata opinio non deviat. Tunc, quum ab omnibus aliquid discere se posse Pastor persuasum habeat, ut ex omnibus prudentiam lucretur, omnibus libenter praebet aures. Attamen nec omnium hominum eloquiis fides suadenda, quod cunctam prudentiae vim disperdere solet.

VI) Mens prompta [*énergique*] cuius, potiusquam extrinseco impulsu, certis deliberatisque rationibus consilium adeo capere est, ut si aliorum sententiam Pastor exquirat, id non ex ignorantia, sed ex cautione agat. Qui, enim, intuitiva hac vi careret, ab aliis regeretur, immo et [ut mox recolimus] perperam regeretur, quia ab ineptis vel versutis obiter capietur.

δ) Haud semper in deliberando Pastor sistat, Scriptura dicente: *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas*¹. Enimvero, quamvis consideratio in deliberatione necessaria sit, attamen nil aliud quam actionis exordium mediumque ipsa est, et ut tandem aliquando Pastor, impleat quod intellexit necesse est: etenim si moderata cunctatio bona, nimia vero mala. Aptum, enim, tempus immaturos fructus ad maturitatem adducere, nimium vero et maturos corrumpere consuevit. *In desideriis est omnis otiosus*², et *qui observatum ventum non seminat, et qui considerat nubes, numquam metet*³. Interdum vero [at raro tamen] audentes fortuna iuvat.

100. — At haec omnia, si dictu facilia, adeo actu profecto difficilia, ut peculiari absque indolis ac temperamenti aequilibrio ac constitutione, [Divina adiuvante Gratia] haud perfici possint. Haec igitur [quod per se patet] cuncta quae ad paroeciam conferunt prudenter caritative disponere possit, enixe a bono Pastore cum Salomone invocanda: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam...; mitte illam de coelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te... Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum iuste, et ero dignus sedium Patris mei*⁴.

Articulus V.

DE PECULIARI PRUDENTIAE PRAXI.

Illam quam peculiarem prudentiae praxim dicere perplacet, in discretionis cultu, ac in regiminis suavitate cum eius fortitudine coniunctione continetur, de quibus quaedam, ad pastorem rem aptiora, recolere nostri est.

1) De Pastoris discretionem.

§ I. De eius in pastoralis regimine necessitate, obiecto ac ratione.

SUMMAE RERUM. — 101. Quae et quanta pastoralis in regimine discretionis necessitas sit. — 102. Normae ad rem indigitantur. — 103. Peculiare eius obiectum recolitur. — 104. De peculiari discretionis praxi. — 105. Conclusio.

101. — Uti in pastoralis regiminis arte accipitur, idem ac linguae et, praesertim, secretorum custodia discretio est, quae quanti in re momenti sint, ex ipsa regiminis indole effluit, cuius opportuno in

¹ Eccles. VII, 13.

² Prov. XXI, 26.

³ Id. XIV, 23.

⁴ Sap. IX, 24.

tempore omnia peragi est; quod sane ille qui quidquid scit promittit omnino posthabet. At omnis bonae gubernationis inimicum linguae relaxare habenas est, quo innumera gravissimaque mala comparantur. Etenim ab eo cui nihil tuto credi potest, qui consilia in fronte et manibus ferat quid speres? Nemo loquaci huic tuto quidquam credit. Hinc neque solida amicitia stabit, politica agendi ratio, detractiones, curiositatesque hinc, quae, dum caritatis ac prudentiae tot impedimenta sunt, et tot regiminis detrimenta extant. *Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet malum*¹, et, e contrario, *qui moderatur sermones suos doctus et prudens est, pretiosi spiritus vir eruditus*². Sed et alia Sapientiae monita attente consideret Pastor: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem....*³, *sint pauci sermones tui*⁴, *in ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum*⁵; *qui custodit linguam, custodit ab angustiis animam suam*⁶; *qui denudat arcana amici fidem perdit, et non inveniet amicum ad animum suum*⁷. Praecipitationis, igitur, verba ne diligat Pastor, immo adeo ipsa devitet ut cum Propheta canat: *secretum meum mihi, secretum meum mihi*⁸. — Quod si propria omnibus revelare stolidum, aliena vero [sub religiose servanda condicione accepta] quibuscumque sint pandere, adeo sacrilegum ut vix credibile appareat. Pastor, igitur, prudens arctam ori suo custodiam imponat, et adeo discretionis signaculum sua super labia statuatur, ut lingua e dentium septis et labiorum propugnaculis [quibus a natura duplici est circumdata vallo] evagare haud possit. Neque in secretorum revelatione subtiles nimis casuisticorum distinctiones afferri possunt quae, quamvis apud Deum forsitan iustificent, apud subditos tamen quam maxime nocent, quorum secretorum tam magna a Pastore debetur reverentia, ut nemini [nec verbusculis vel reticentiis] ea pandere ullo modo ullaque ratione liceat. Tunc, enim, tantum in Pastore subditi se plene fidunt, cum inviolabili eius cordis arcae, secreta sua committere persuasum habeant. Nulla, igitur, in re epikeia, exceptio nulla sit. *Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet malum*⁹; *gloriosi ducis est commissa sibi signa servare*¹⁰.

102. — Normas ad rem indigitamus quae huius fidei consequentiae perspicuntur:

a) Parca ex fidelium ore secretorum susceptio, qua ante-

¹ Prov. XII, 3.

² Id. XVII, 37.

³ Eccles. V, 3.

⁴ Id. V, 1.

⁵ Id. XXI, 29.

⁶ Prov. XII, 3.

⁷ Eccli. XXVII, 17.

⁸ Isaia, XXIV, 16.

⁹ Prov. XII, 3.

¹⁰ S. Cyprian. Epist. 73.